

02 H 1016



Q. D. B. V.
DISSERTATIO IVRIDICA
DE
DIFFERENTIIS IVRIS
ROMANI ET GERMANICI
IN
BENEFICIO SEPARATIONIS

QVAM
IN REGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE
D. IOANNE TOBIA CARRACH

IURIVM PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO

D. II. JANVAR. ANNI CIO IQ GG XL.

H. L. Q. C.


PUBLICE VENTILANDAM EXHIBET

IACOBVS EMMERICH
GÜSTROA-MEGAPOLITANVS.

HALAE MAGDEBURGICAE
TYPIS IOAN. FRIDERICI GRVNERTI ACADEM. ET SENAT. TYPOGR.

(6)

25.



VIRIS
EXCELLENTISSIMIS PRAENOBI LISSIMIS
AMPLISSIONIS ATQUE CONSULTISSIMIS
DOMINIS
DN. IO. CHRISTOPHORO
VICKE

ICTO FAMIGERATISSIMO SVMMI TRIBVNALIS PROVINCIALIS
ET AVLICI ADSESSORI GRAVISSIMO CIVITATIS GVSTRO-
VIENSIS CONSULI VIGILANTISSIMO

DN. IOANNI GVSTAVO
STORCH

ICTO EXPERIENTISSIMO SERENISSIMO DVCI REGNANTI
MEGAPOLITANO A CONSILIIS AVLICIS CIVITATIS
GVSTROVIENSIS CONSULI FVLGIDISSIMO

NEC NON

DN. IOANNI PETRO KRAFFT

ICTO CELEBERRIMO RERVM FISCALIVM IN CANCELLARIA
IVSTITIAE ADMINISTRO FIDELISSIMO SVMMI IVDICII
PROVINCIALIS ET AVLICI PROCVRATORI ORDI-
NARIO CIVITATIS GVSTROVIENSIS SYN-
DICO DIGNISSIMO

MAECENATIBVS SVIS OPTIMIS
SVMMO HONORIS ET OBSERVANTIAE CVLTV
AETERNUM PROSEQVENDIS
CVM DEVOTA STVDIORVM SVORVM COMMENDATIONE
HASCE MVSARVM SVARVM PRIMITIAS
DAT DICAT DEDICAT
IACOBVS EMMERICH.



Q. D. B. V.

DISSERTATIO IVRIDICA
DE
DIFFERENTIIS IVRIS
ROMANI ET GERMANICI

IN

BENEFICIO SEPARATIONIS.

§. I.

A Erumnarum atque periculi plenissimam *Theme-*
rem esse concursum creditorum, sci-
unt pariter, qui iura condunt, quam
qui illa in dicasteriis & iudiciis appli-
cant; sepissime vero cum detimento experiuntur
illi, quorum fortunæ in hoc discriben ducuntur.
Siue enim debitorem obœratum, siue ipsos quoque,
qui circa istius bona concurrunt, creditores confide-
remus, ex vtraque parte non solum difficultis admo-
dum sed desperata fere causa apparet. Debitoris
quippe

A

quippe facultates æri alieno exsoluendo plerumque impares sunt, prætereaque sumptuosa lis sportulis iudicibus atque mercede curatoris bonorum & litis, qui dicitur, exile patrimonium adhuc magis immunit, vt olim in actis legisse meminerim, debitorem quendam communem, quem vocant, qui ab initio quorundam ex creditoribus ius in dubium vocauerat, singulis hisce tandem respondisse: Duplicando siehet Liquidat doch wohl, daß ans diesem concurs wenig oder nichts für ihm werde übrig bleiben: also mag auch N. Forderung als richtig passiren, und will Liquidat dieselbe hiermit eingeräumet haben &c. Inde debitor æque ac creditores quodvis auxilium, licet aliquando satis fleibile, circumspiciunt, & quilibet operam dat, vt tabulam quasi de naufragio arripere possit. Illius quidem in præsenti curam non habeo: verum ad hos saltē hæc spectat tractatio. Qnemadmodum autem his non solum cum debitore ære alieno obruto, vel curatore litis, quem contradictem communem vocant, res est, sed ipsi inter se certant & inuicem conflictantur, qui & quid quisque eorum ex hac iactura seruare possit: quum quilibet e re sua esse sciat, sibi neminem, se vero omnibus in impetrando eo, quod sibi debetur, præferri: ita partim de ipsa crediti veritate, partim de ordine satisfactionis, partim de ipso obiecto, ex quo suum cuique præstandum frequens & acerrima oritur contentio. Ad postremam controvrsiæ speciem pertinet SEPARATIO BONORVM, quæ non leue præjudicium infert solutioni impetrandæ vni commodum alteri admodum incommodum: quapropter quilibet

quilibet creditorum vnde cunque omnia studiose conquirit, quæ pro modo utilitatis suæ ad eam aut obtinendam aut impediendam faciunt. Eumque in finem, vti alias frequenter accidit, in hac quoque causa plerumque Romana iura in subsidium vocarunt: quo ipso tamen in hac iuris materia tanta iurium Latii & Germaniae confusio exorta est, vt ipsum BENEFICIVM SEPARATIONIS beneficio separationis maxime indigeat. Periculum hac in re facere constitui, expositurus specimine hoc academico DE DIFFERENTIIS IURIS ROMANI ET GERMANICI IN BENEFICIO SEPARATIONIS: eamque spartam eo lumentius mihi sumsi, quod non solum patria iura aperite in hac re diuortium faciant a Romanis legibus, sed etiam ipsos habeam maximi nominis ICTOS LAVTERBACHIVM, SCHILTERVM, MEVIVM, BRVN-NEMANNVM, aliosque, qui facem prætulerunt; quorum vestigia sedulo vt premam, meum esse duxi. Attamen ideo laborem meum superfluum esse, minime putau: tum quod laudati ICTi quedam adhuc monenda reliquerint, tum quoque quod diversis vtantur rationibus, tum denique quod sub censuram vocati sint ab aliis, sicuti multi separationi iuris Romani & Germanici magis obuiam ire, quam viam parare solent.

§. II.

De ordine, secundum quem thema propositum pertractandum sit, vt multa præmoneam, necesse dorum. haud est: quippe quem ipsa negotii natura suppeditat. Nimurum vt ab initio ab æquiuocationis ambiguitate terminus liberetur, ipsa requirit necessaria

A. 2

per-

perspicuitas. Postea mox exponendum erit, quid ipsa res sit, quæ in præsenti tractatur. Porro paucis perpendendum est, quantum naturalis ratio in hac causa constitutat. Tunc sequentur differentiae generales ex Romano & Germanico iure. Has excipient differentiae primariae speciales, siue hæ ratione subiecti seu personarum, quibus hoc separationis ius competit, siue respectu obiecti seu bonorum separandorum, siue ratione modi occurrant: simulque ea, quæ hac in re a maioribus bene tradita, sed ab aliis in dubium vocata sunt, ab obiectionibus erunt vindicanda. Et hoc modo totum negotium com mode absoluī posse, existimo.

§. III.

De variis generibus separationis.

Passim in iuriis disciplina & diuersis eius partibus diuerso admodum in sensu mentio iniicitur separationis: quæ non solum de rebus multifariam, verum de ipsis quoque personis prædicatur. Quoad has enim in causis matrimonialibus occurrit separatio coniugum, quæ fit a thoro & mensa: quoad illas autem non solum in feudalibus causis de feudi & allodiis separatione inter successores feudales & allodiales frequens est disputatio, sed in ipsis allodiis diuersi generis separatio locum obtinet; sic in quæstione de acquirendo rerum dominio per accessionem de separatione accessorii a re principali, cui illud inuitio domino iunctum est, cuiusque dominium hic dimittere non vult, actione ad exhibendum disceptatur; sic tandem circa concursum creditorum communium de bonis debitoris obærati separandis maximæ & diffi ciles oriuntur contentiones. Hoc postremum separatio-

rationis genus tantum ad me spectare in praesenti tractatione, & ex inscriptione dissertationis intelligendum est, & facile liquet ex consideratione dictorum sub §. I. cætera itaque separationum genera hoc loco non curo. Et quamvis in caussam concursus creditorum aliquando incidat quoque quæstio de separatione accessiorum a re principali modo scripta, vti & de separatione feudi & allodii: inde tamen hæc non eadem est cum beneficio separationis, qua proprie creditores concurrentes vtuntur, nec ex hu- ius sed ex propriis suis principiis exponi debet. Imo et si ex accidente in separatione feudi & allodii ex hoc iure separationis creditorum concurrentium aliquando quid dependeat: tunc tamen ex deducendis facile fieri poterit consecutio ad decisionem eiusmodi quæstionum.

§. IV.

Verum quæ circa concursum creditorum obtinet separatio ne quidem semper nec ab omnibus eodem sensu sumitur: siquidem sunt, qui non solum inter eos, qui veri sunt creditores siue diuersorum patrimoniorum ac debitorum, siue eiusdem, locum concedunt, sed etiam ius illorum, qui creditores plane non sunt, sed res suas adhuc existentes vi dominii extra concursum vindicant, separationis nomine notant, quia ius habent separatum a iure creditorum. Quapropter secundum illorum doctrinam separatio hoc modo exponitur, & dispescitur: quod præferantur quidam creditores aliis extra concursum *iure separationis* I) ordinario, qui scilicet rerum apud debitorem existentium sint domini; quidam autem II) ex-

*De separatio
ne circa con-
cursum credi-
torum.*

A 3

tra-



6 DE DIFFERENTIIS IVRIS ROMANI ET GERMANICI

traordinario iure LAV TERB. Comp. Iur. Tit de Priuilegiis creditor. quod vulgo & eminenter *beneficium separationis* dicitur: cui denique additur III) *quasi separatio*, cui etiam in ipso concursu creditorum eiusdem debitoris proprie talium locus conceditur. Quantum autem de iure Germanico huic distinctioni dandum sit, ex infra dicendis apparebit.

§. V.

De Ima specie
agitur inci-
denter quoad
ius Rom.

Attamen prima species eo minus huc pertinet, quo magis in aprico est, quod alio sensu illa dicitur *separatio*, & quod parum commode secundum ipsa iuris Romani principia ad *beneficium separationis* referri queat, ex quibus *beneficium separationis* omne extraordianrio iure competiit. Idque adhuc magis perspicuum est, si consideremus, quam abusus domini rerum suarum apud debitorem, de cuius bonis concursus exortus est, existentium inter huius creditores haberi, & quam minus apte eiusmodi res debitoris communis rebus & patrimonio imputari possint, vt itaque separatione ab hoc non indigeant. Licet suum vindicantibus omnino disceptandum sit in concursu cum creditoribus concurrentibus, pariter ac ad sumtus concursus pro rata conferre debent, CHEMNIT. de *Iure prælat. creditor. thes. 36.* si creditores aut vindicantium ius in dubium vocent, aut se defendant exceptione, domino ex parte saltem obstante v. g. ob impensas. Idem dicendum est de eo, cuius res accessit rei cuiusdam debitoris, quousque illi propter separationem rei suæ §. 3. ad exhibendum actio eiusdemque vindicatio competit.

§. VI.

§. VI.

In Germania autem eandem res suas extra con- Quod ius
curlum vindicandi potestatem obtinere, dubium non Germanicum.
est; quum haec facultas communibus principiis natu-
ralis iuris ita clare nitatur, ut prolixiore demonstra-
tione opus non sit. Ideoque hac in re differentiae vtrius-
que iuris vix occurunt, nisi 1) quantum in ipso do-
minio discrepantia quædam obuenit, quæ hoc loco ad
me non adeo spectat. 2) Minime tamen ex *Iur. Provinc.*
Sax. Libr. II. art. 60. cum *CHEMNITIO de Iure p̄elat.*
creditor. thes. II. ibique citato *FACHSIO Diff. I.* hoc
referendum est, quod commodans facultatem non
habeat rem commodatam vindicandi ex concursu de
bonis commodatarii moto; nec opus est, vt cum cita-
tis ICtis textum hunc tanquam rationi naturali con-
trarium arguamus, aut eo configiamus, quod de-
fuetudine sit inumbratus: quippe qui textus tale quid
non continet, imo eiusmodi interpretationi contraria
potius sunt postrema *citati articuli* verba; atque fallit
FACHSII ratiocinium, quasi dominium sit transla-
tum in commodatarium, & vulgare illud antiqui
iuris *Hand muss Hand wahren* tertium possessorem
tantum liberat a vindicatione commodantis. Potio-
re vero iure hoc referri debet, 3) quod in locis, vbi
communio bonorum inter coniuges viget, vxor bo-
na sua exstantia extra concursum mariti vindicare ne-
queat. Porro 4) ob securitatem creditorum utiliter
in terris Brandenburgicis constitutum est, quod
alienantes res immobiles, in securitatem pretii do-
minium sibi reseruantes, si moto concursu hoc frui
velint, curare debeant, vt talis reseruatio inseratur
demi

dem Hypothequen-Buch, Königl. Preußl. Hypothequen- und Concurs-Ordnung §. 8. & 133. quod de fideicommissis quoque præcepit §. 9. cit. Ordinat. Deinde s) in transitu monendum, quod BRVNNE-MANNVS de Processu concurs. credit. Cap. V. §. n. hic referat fiscum propter collectas residuas siue ordinarias siue extraordinarias. - Nam cum videat, quod per Recess. Marchicum de anno 1653. §. 29. sanctum sit, fiscum quoad collectas præferri debere omnibus creditoribus, etiam illis, s) ein ius separationis zu haben vermeinen; hanc prærogatiuam ex iure dominii supereminens fisco tribuit, & sic fiscum inter eos numerat, qui ius dominii habent. Verum dominium eminens non est dominium proprium dictum: et si negandum non sit, quod imperans vi dominii eminentis, quod dicunt, ceu parte summi imperii in republica competentis, ob huius salutem singularem prærogatiuam in concursu fisco concedere possit. Nullum quoque opus est refugium ad dominium, si cum BRVNNE-MANNO cit. loc. & STRYKIO in notis ibidem legem restrictive interpreteris de casu, vbi ex ipsa re collectabili debentur collectæ residuae, quod tunc ipsi domino rem suam persequenti sint oneri, alias autem domino a fisco præiudicium non inferatur: quemadmodum enim ipsi laudati ICti hanc prærogatiuæ & interpretationis suæ adiecerunt rationem, quod dominus ipse, si rem possedisset, collectas soluere debuisse; ita certe fiscus nec dominium rei in dubium vocat domino, nec ex dominio agit, sed onus reale ex lege impositum contra dominum ipsum persequitur. Nec video, quomodo dominium quadrat ad extensionem prærogatiuæ ad alia fisci credita
præter

præter collectas in terris Brandenburgicis, relatam in *Ordinat. Reg. Boruss. de Hypoth. & concurs. §. 135.* & a STRYKIO in notis citatis. Itaque potius de hoc præcipuo fisci aliud erit statuendum, de quo vide infra dicenda sub specie IIda: interim conf. not. ult. & penult. ad BRVNNEMANN. §. cit. Tandem 6) secundum patria jura facilius quidem hæc separationis species defendi posse videtur: quoniam tota bonorum separatio propria in concurso eo credit, quod dominium eorum ad debitorem non pertineat, adeoque eius creditores inde satisfactionem suam urgere nequeant. Sed mox patet, quod omnis bonorum separatio, quæ in concurso obuenit, in Germania ordinario iure nitatur atque fiat: idcirco totam distinctionem §. 4. propositam ut curemus, non est opus.

§. VII.

Transeamus nunc ad secundam speciem separationis bonorum concursum creditorum concernentem, quæ vulgo & eminenter *beneficium separationis a Ictis* dici solet *vide* §. 4. eamque in primis hæc tractatio respicit: adeoque videndum ab initio, quid ea sit? Hæc ita mihi videtur describenda: quod sit bonorum & creditorum defuncti & hæreditis seorsim habita ratio, vt cuius creditori ex bonis eius, qui proprius debitor illius est, satis fiat. Summa æquitate naturali eam nisi, omnes quidem confidentur: quia admodum iniquum esset, si ad bona defuncti, quæ suis creditoribus sufficiunt, creditores hæreditis admitti, eaque exhaustire, & sic, forsitan ob singularem prærogatiuam crediti sui, hæreditiorum creditorum ius inane reddere deberent. At in applicatione ad singularia

De IIda spe.
cie, quid ea sit?

B

eadem

eadem æquitas nec semper agnoscitur, nec exercetur: idcirco paucis expendenda sunt naturalia huius rei principia, quo de eius æquitate pariter ac relatione legum posituarum ad illam eo rectius statuere possimus.

§. VIII.

Eius principia
naturalia.

Consideranti mihi naturalem huius rei indolem iam non quidem vacat prima & remotiora inuestigare principia, sed proxima tantummodo & primaria capita in breuem summam coniiciam, quantum illis opus est, ad cognitionem æquitatis & usus legum ciuilium. Sic non euro, quibus rationibus ipsum ius succedendi ex naturali iure deriuandum sit; & perinde mihi est, siue ex iure naturæ late siue stricte dicto, siue successionem tantum paclitiam, siue quoque sanguine coniunctorum, siue denique etiam testamentariam supponas: verum ex quacunque causa haeres quis exstat decessoris sui; ex recta tamen ratione constitendum, quid ex relictis a defuncto hereditatis nomine ad successorem pertineat. Nimirum dubium non est, 1) quod creditori, ex quacunque causa debitor ipsi siue ad speciem, siue ad genus, siue ad estimationem obligatus sit, facultas competat, ius suum coactione externa persequendi, adeoque in statu naturali per violentiam quouis momento debitori moroso extorquendi tantum, quantum ad satisfactionem sufficit, idque in bonis creditoris sit; item 2) quod tanto minus, quantum ex rebus possessis debitor creditori præstare tenetur, sit in debitoris facultate disponendi & vtendi rebus, nisi ex permissione creditoris. Unde 3) verum est, quod proprie bona cuiusque sint, quæ ei supersunt deductio ære alieno. Porro 4) certum

tum est, quod idem ius occupandi bona pro sua satisfactione retineat creditor, si bona a debitore sive superflite sive moriente relinquuntur: 5) nec non si alius relicta a debitore occupet aut nullo titulo fultus, aut ius succedendi in bona defuncti sibi arrogans. Quoad illum enim res clara est; hic autem nequicquam lucri sibi arrogare potest, quam quod defunctus reliquit, & in bonis defuncti fuit: at id tantum consistit in eo, quod defuncto superfuit, ære alieno deducto *per num. 3.* cæteroquin iniuste resistit creditori, ex fortunis defuncti satisfactionem persequenti. Neque 6) aliud velle qui succedendi ius sibi arrogat, putandus est: alias enim lædere velle existimandus esset; sed delinquare adeoque alterum lædere velle, vix quisquam presumendus est. Prono alueo inde fluit, 7) quod eatenus quidem hæres pro debitis defuncti teneatur: sed 8) vt de suis solvat, nullum apparet necessitatis fundamentum, conf. PUFENDORF. I. N. & G. Lib. IV. cap. 10. §. 8. cap. 11. §. 19. & Lib. V. cap. 11. §. 12. 9) nisi a decessore relicta, ex quibus creditoribus huius ante omnia satisficeri debuerat, diminuendo his damnum intulerit, adeoque in tantum horum debitor factus ex propriis. Hinc porro 10) deducitur, quod ea tantum hæreditatis nomine ad patrimonium hæredis accedant, quæ ex relictis a defuncto supersunt deducto ære alieno *num. 3. & 5.* Nec vltra 11) patrimonii decessoris cum patrimonio successoris contingit confusio, nec vtriusque existit identitas, quam dicunt. Ideoque 12) non opus est vtriusque separatione. Neque 13) circa separationem creditori defuncti quicquam ex bonis hæredis exigendi ius est, nisi in casu sub *num. 9.*

excepto, neque 14) vicissim creditoribus hæredis aliquid iuris competit, ex bonis defuncti decessoris satisfactionem urgendi, extra quam si post deductum æs alienum defuncti quid supersit. Interim tamen 15) inficias nemo ibit, quod ab hærede, quamdiu illi creditores defuncti usum rerum ab hoc reliquarum concedunt, inde suis creditoribus soluta his acquirantur, quatenus mutuatis ac conductis numis solutio recte fit, aut alienæ res a non domino datae in bona fide accipientem transferuntur, ad effectum eas consumendi, usucapiendi & transferendi. Pariter creditoribus hæreditariis cedunt, quæ eodem modo hæres inde solvit, quæ ex bonis eius sunt, quamdiu nondum instant proprii creditores. Ex his quoque liquet, an soluta repetendi facultas creditoribus aut hæreditariis aut hæredis competit nec ne. Denique 16) cum deducta aperte niantur naturalis & sic universalis iuris principiis, alteri obligationem externam imponentibus, alteri perfectum ius concedentibus, merito mihi videor colligere, quod haec omnia in statu ciuili quoque externam coactionem efficiant mediante actione coram magistratu instituenda, atque quod illis principiis inferiendum sit: nisi 17) in republica quadam leges ciuiles addendo vel detrahendo aliquid inde recesserint.

§. IX.

Generalia iuriis Romani.

Quanquam vero æquissimorum horum præceptorum non penitus ignara sit Romana iurisprudencia; eorum tamen simplicitati nec semper nec in totum indulxit: sed postquam longe ab hinc recessisset, tandem aliquantulum saltem cum prima æquitate naturali

turali in gratiam rediit. Romanis enim hæreditas, quam sèpe etiam sub bonis intelligent, est successio in vniuersum ius, quod defunctus habuit L. 24. D. de V. S. & L. 62. D. de R. I. atque *iuris* nomen est L. 19. D. de V. S. denotans vniuersitatem seu complexum omnium iurium defuncti morte eius non extingtorum. Vnde non solum iacens hæreditas domina esse & defuncti locum obtainere creditur L. 31. §. 1. D. de Hæred. *inflit.* verum hæres eiusdem potestatis iurisque esse, cuius fuit defunctus, habetur L. 59. D. de R. I. atque omnis hæreditas, quamvis postea adeatur, tamen cum tempore mortis continuatur, & omnia fere iura hæredum perinde habentur, ac si continuo sub tempore mortis hæredes existissent L. 138. & 109. D. de R. I. Proinde ista omnis iuris defuncti in hæredem continuatio, illiusque cum huius iure coalitio idem patrimonium ex vtroque in persona hæredis constituit, & cum omni iure demortui omnes huius obligationes, actiones & nomina in hæredem transeunt, sub quibus nomina & iura tam actiua quam passiua, vti vocant, sine discrimine continentur L. 37. D. de Acquir. vel *omittend. hæred.* nisi patricis exceptis, vtpote suo modo obligationes ex delicto orientes. Inde non minus manifestum visum est, quod hæreditas obliget hæredem æri alieno, etiamsi non sit soluendo L. 8. D. eod. quam quod hæreditatis appellatio contineat etiam damnosam hæreditatem L. 19. D. de V. S. que eo magis hæredi creditur oneri esse, quod, postquam hæc iuris certi essent, qui sciret aut scire potuisset, se oneribus fore implicitum, ea conditione adire videatur L. 38. D. de Acquir. vel *omitt. hæred.* Etenim quam dura hæc iuris disciplina sit,

fit, partim liquido appareat ex attenta traditorum consideratione, eorumque cum deductis §.8. comparatione, partim quoque ipsa recentior pariter ac æquior iurisprudentia Romana deprehendit, cui ex duris principiis promanentes iniquæ conclusiones non potuerunt occultæ permanere. Interim quum quondam apud Romanos, antequam omne legum arbitrium penes Imperatores esset, pristina scita vno ictu aperte euertere, religioni haberetur, Prætores necessitate æquitatis naturalis adæti antiquum iuris ciuilis rigorem, vti in aliis causis, sic quoque in hac hæreditatis materia indirecte temperarunt; ita scilicet vt regulæ quidem iuris ciuilis inseruirent, sed iniquitate læsis implorantibus auxilium singularibus beneficiis subuenirent: è contrario illi, in quorum fauorem talia non erant introducta, vel qui Prætorem hac de re non adibant, ex durius iuris ciuilis censabantur. Huc pertinet etiam beneficium separationis, quo creditoribus concursu de bonis hæredis moto ex confusione iuriū & patrimoniorum defuncti & hæredis periclitantibus contra duros huiusmodi confusionis effectus succurrebant Prætores. Nam quum defunctus aliquando hæredem haberet obæratum, & sic illius patrimonium suis quidem creditoribus sufficiens coalesceret ac confunderetur cum patrimonio hæredis obærati suis creditoribus non sufficiente, atque ex utroque patrimonio unum fieret, adeoque defuncti & hæredis creditores ad idem patrimonium concurrerent; facile obtingebat, vt defuncti creditores in impetranda solutione postponerentur creditoribus hæredis singularibus iurium prærogatiis instructis, simulque horum

horum satisfactione omne patrimonium ex iuribus defuncti & hæredis coalitum fere consumeretur, vel saltem per concursum creditorum hæredis ita imminueretur, vt creditoribus hæreditariis parum vel nihil reliquum esset, quibus tamen satisfieri potuisset, si seorsim habuissent defuncti debitoris bona. Quod, quum in creditorum hæreditariorum perniaciem vergeret citra eorum culpam, Prætores ad normam æquitatis ita temperarunt, atque implorantibus his tali auxilio subuenerunt, vt vtriusque patrimonii separatam haberent rationem, quo duri effectus ciuiles confusionis iurium euenterentur, & creditores hæreditarii sibi ante omnia ex relictis a defuncto suo debitore satisfactum irent. Eoque modo contra rationem & regulam juris ciuilis inualuit prætorii iuris singulare hoc beneficium separationis bonorum: quod itaque in iurisprudentia Romana est juris prætorii beneficium, quo creditoribus hæreditariis petentibus patrimoniorum defuncti & hæredis in huius persona confusorum separata habetur ratio, vt illis solis ante omnia ex bonis defuncti satis fiat.

§. X.

Hoc ita obtinuit, coque beneficio ad rigorem juris ciuilis duri molliendum opus fuit pristinis iurisprudentiæ Romanæ temporibus: sed an nouiore iure apud Romanos idem necessum fuerit, ambiguum est; quidam aiunt, alii negant, postquam beneficium inventarii introductum. Ad minimum putant, tunc non opus esse separationis beneficio, si hæres cum beneficio inuentarii hæreditatem adierit, cum hoc modo bona defuncti a patrimonio hæredis iam diuisa sint

Continuatio
quoad ius Ro-
manum re-
centius.

sint, adeoque separationis beneficio ut ea distinguantur, necesse non sit. Huc quoque referunt Legem vlt. §. 4. C. de Iur. delib. quippe qua hæres, qui inuentarium confecit, iubetur, ex bonis defuncti creditoribus hæreditariis pro viribus hæreditatis satisfacere: proinde hæres, vti ex hæreditate in commodum creditorum hæreditariorum damnum ferre non tenet, ita pariter nec in eorundem præiudicium ex bonis hæreditariis lucrum sentire posse videtur cit. L. vlt. §. 10. quod tamen eueniret, si hæres, qui cum inuentarii beneficio hæreditatem adiit, ex bonis defuncti in detrimentum creditorum hæreditariorum suis creditoribus soluere posset. Cumque id fieri non debeat, adeoque propter confectionem inuentarii creditores hæredis creditoribus defuncti præiudicium inferre nequeant: colligitur inde, quod creditores hæreditarii non indigeant, ut separationis beneficio a patrimonio & creditoribus hæredis, atque vicissim hi a patrimonio defuncti segregentur. LAVTERBACH. *Diff. de Separat.* §. 3. RICHTER de Iur. & priuil. creditor. cap. I. membr. post. HILLIGER ad DONELL. L. 23. c. 16. lit. D. Alii vero in aduersam prorsus eunt sententiam existimantes, quod creditores hæreditarii nihilominus beneficio separationis indigeant, eaque ipso iure non fiat, licet vel maxime hæres cum beneficio inuentarii hæreditatem adierit: quapropter priorem sententiam & LAVTERBACHII aliorumque opinionem his rationibus infringere conantur. Mouent scilicet in contrarium, quod probatum nondum sit, hæredem confessio inuentario teneri, præcise ex bonis hæreditariis creditoribus defuncti satisfacere; & quod beneficium inuentarii in solius hæredis fauorem con-

concessum sit, ne ipse vta vires hæreditatis teneatur,
 quo nihil detraheretur eius libertati, æque ex suo pa-
 trimonio atque ex bonis a defuncto acceptis credi-
 toribus tum suis tum hæreditariis recte soluere, &
 quamdiu hæres beneficium inuentarii haud alleget,
 solidum ex vniuersis ipsius bonis creditores non male
 aut perperam petant. Vberius adhuc istam senten-
 tiā inde refutare operam dant; quod non raro hæ-
 res ære alieno pressus, tam bona hæreditaria, quam
 sua diuidenda relinquat creditoribus, quo casu non
 amplius eius interesset, ex quibus bonis creditoribus
 satisfiat: neque tunc creditoribus cum hærede, sed
 inter ipsos negotium esse, neque beneficium inuentar-
 ii efficere, vt bona hæreditaria a bonis reliquis ipso iure
 sint diuisa, vrgent conf. SCHILTER *Exercit. ad ff. XLVI.*
 §.47. WERNHERI *Dissert. de Vsu beneficii deliberandi, aliorum-*
que iuris Romani &c. Cap. IV. §.13. sqq. Verum enim vero
 sentiat quilibet, quid putet; ego autem his rationibus a
 me impetrare nequeo, qui sententiæ LAVTERBACHII
 non adstipuler. Etsi enim concedam, quod benefi-
 cium inuentarii primario in fauorem hæredis intro-
 ductum, neque eo ipso hæredi directe impositum sit,
 vt præcise ex bonis hæreditariis creditori soluat: suffi-
 cit tamen, quod indirecte & per consequentiam inde
 fluat, hæreditarios creditores vrgere posse, vt sibi ex
 bonis hæreditariis, vbi aliunde ipsis satisfactio non
 fit, ante omnia soluatur. Idque in antecedenti-
 bus satis probatum est, atque inde sequitur, pri-
 marium effectum inuentarii esse, quod confusionem
 iurium defuncti & hæredis impedit, ac separatio-
 nem illorum inducat *L. fin. §. 1. 4. & 9. Cod. de Iure*
 C *deli-*

deliberandi, vnde non solum proprie est apud Romanos, quod h̄eres non teneatur creditoribus defuncti ultra vires h̄ereditatis & ex propriis bonis; sed ex eodem confusionis iurium impedimento & bonorum h̄ereditariorum ac h̄eredis separatione partim cessat ratio, ex qua h̄ereditarii & h̄eredis creditores ad idem patrimonium pertinere credebantur, partim vero idem fit, quam si creditores ipsi separationem confusorum impetrant. Protinus id facile colligendum est, æque ut h̄eres propter repertoriū consignationem legitimate factam non tenetur creditoribus h̄ereditariis de suis & ultra vires h̄ereditatis soluere, ita quoque eius creditores, bonis ipsius possessis, idem aduersus creditores h̄ereditarios vrgere posse, quippe qui debitoris sui iura massam bonorum augmentia persequuntur: sint itaque iura inter defuncti & h̄eredis creditores reciproca; illisque non negetur, quod his competit. Neque ad statum controversiæ pertinet, quod beneficio inuentarii intercedente separatio ipso iure non fiat: sufficit enim, quod per inuentarium separatio bonorum & confusionis impedimentum obtingat. Nec plus efficit, quando libertas h̄eredi tribuitur, soluendi ex quibus bonis velit: namque iuxta antecedentia id non absolute admittendum est; deinde non tam quæstio est, quid ex iis, quæ alterutri creditori soluta sunt, illi acquiratur; imo miscetur isto dubio confusio iurium h̄eredis & defuncti, cum confusione, quam facti dicunt. Sic quoque extra questionem præsentem est, num h̄rede inuentarium non allegante creditores defuncti integrum creditum ex viuieris bonis recte petant: sed numne creditorum iura sint reciproca, vt, quemadmo-

modum in hæredis eiusque creditorum commodum contra creditores hæreditarios inuentarium allegari potest, ita his quoque in suum commodum vicissim idem competere debeat. Postremum dubium tum a particulari est, tum principium petit, cum secundum iam dicta per inuentarium confusio bonorum impedita sit: atque ex deductis iam apparet, quod creditores quidem inter se, sed de diuersis bonis diuersorum debitorum negotium habeant. Tandem verba captari mihi videntur, postquam utrumque beneficium certo iure nititur, & in corpus iuris Imperatorum auctoritate relatum: sane idem est, si creditoresdecessoris urgeant, separata huius esse debere bona a bonis hæredis propter inuentarium confectum, ac si absolute & mentione inuentarii non facta separata esse debere bona flagent. Interim tamen id omittendum non est, quod inuentarium hæredi indultum æque ut separatio creditoribus concessa iure Romano sit singulare beneficium, ad temperandam iuris regulam ordinariam introductum, adeoque citra hæc beneficia regulæ iuris ciuilis ordinariæ locus sit.

§. XI.

Sed an Germanicum ius Latii scita, an vero naturalia præcepta §. 8. exposita sequatur, nunc quoque generatim viuendum est. Sane non existit sanctio quædam Germanica generalis, quæ principiis iuris vniuersalis §. 8. traditis eadem cum iure Romano addiderit, vt potius quondam principia patria illis aliquid detraxerint: itaque in illis pro ratione sua obligandi vniuersali acquiescendum est, vbi Germanica lex non recessit §. 8. num. 16. & 17. Eaque

C 2

fine

Generalia iuris Germanici.

sine dubio Germania seruauit, antequam Romanæ leges ad eam penetrarunt: quarum subsidiaria receptione tamen priscis moribus naturale ius obseruantibus derogatum non est, nisi localia iura in contrarium speciatim doceri queant. Præsertim quum Romanum ius in hac causa durissimis subtilitatibus, quæ demum sequioribus temporibus per indirectum ad æquitatis normam temperandæ fuerunt, superstructum sit: ab eiusmodi tricis autem antiqua iura patria, quo simpliciora simul ac æquiora fuerunt, eo magis abhoruerunt. Aduersantur quoque penitus maiorum nostrorum præsca instituta huiusmodi ambagibus & duritiei: quippe notissimum est, quam restricta fuerit olim potestas disponendi de bonis tum inter viuos tum mortis causa, in familiae & successorum emolumentum. Proinde neque omnia bona sua possessor indistinetè onerare poterat ære alieno, quod non omne successorem obligatum efficiebat; neque alia fuit successio quam intestata sanguine iunctorum, aut in subsidium paetitia: & quod maximum est ex ipsis his institutis summa æquitate nixis ipso iure citra factum additionis vel simile quod statim a momento mortis decessoris hæreditas pariter ac possessio eius in successores ignorantes quoque transiit atque his acquisita est. Iniquissimum ergo fuisset, & cum tota succedendi ratione Germanica parum conuenisset, omnium iurium ac obligationum defuncti confusionem & coalitionem cum patrimonio hæredis statuere. Tantum abest, ut Germanici mores contra naturalem æquitatem omne æs alienum defuncti vltra modum bonorum ab eo relictorum successori hæreditatis nomine imposuerint, quam

quam demum id constitueret crediderunt, quod, pro modo facultatis disponendi de bonis possessis domino compete, ære alieno deducto supereft: & sic hæredem pro viribus bonorum hæreditariorum arbitrio defuncti obnoxiorum ad æs alienum soluendum adstrinxerunt; ad quarum virium quantitatem indicandam ex indole successionis & fiducia iuramentorum Germanica designatio hæredis iurejurando corroboranda, quam vocant iurata specificationem, suffecit *Jur. Prov. Saxon. Lib. I. art. 6.* Quæ iura quod non solum Saxonia seruet, testes sunt CARPZ. P. III. C. 33. Def. 8. RICHTER Decis. LX. num 8. STRVV Exercit. XXXIV. thes. 33. HARTM. PISTOR. Lib. II. Qu. 2 num. 4. SCHILTER Exercit. XXXVIII. §. 157. sed etiam in plerisque locis eadem obtinere, adstruunt BRVNNE-MANN. ad L. vlt. C. de Iure delib. num. 60. STRYK Vſu Mod. Tit. de Iure delib. §. 2. MEVIVS de Specificat. iurat. cap. III. §. 6. licet minus recte adseratur, a iuris rigore vſum vulgarem plerisque in locis recessisse, quum potius dici debuisset, quod antiqui iuris patrii vſus in plerisque locis saluus manserit, & ab eo non recessum, neque a rigore iuris Romani, subsidiarii in Germania, suppressus sit: antiquorum enim morum ac patriarchum institutorum, & quæ inde secundum naturam rei atque rectam rationem fluunt, immutatio & per ius peregrinum in subsidium tantum vocatum suppressio facti est, nec præsumi sed probari debet. Quemadmodum igitur ex his eorumque cum traditis §. 8. collatione liquet, quod quondam in Germania & adhuc in plerisque locis iurium vniuersorum defuncti ante æris alieni deductionem cum patrimonio hæredis nulla fiat de re-

C 3

gula

gula iuris ciuilis patrii confusio, nec vltra vires haereditatis haeres teneatur: sic quoque facile est ad intellegendum, quod nulli inde duri effectus in concursu creditorum in praejudicium quorundam ex his dependere possint. Protinus sequitur, haud opus esse singulare auxilio contra iniquas lassiones secundum ordinariam ciuilis iuris rigidi regulam ex confusione iurium resultantes subuenire creditoribus, aut eum in finem iurium, quæ separata tamen manserunt, confusonis effectus duros separationis beneficio tollere: sed recte se habent, qui concursu de bonis defuncti & haeredis moto vtriusque rerum segregationem in Germania non extraordinario iure tanquam singulare beneficium, vti iure Romano, sed ex ordinaria iuris regula obtinere aiunt conf. SCHILTER Exercit. XLVI. §. 48. TITIVS ad LAVTERBACHII Comp. Iuris. ad Tit. de Priuile. credit, obseruat. 1060. atque iura Saxonica, Marchica, Pomeranica & Megapolitana, quæ a iure Romano in hac causa diuortium facere referuntur a SCHILTER loc. cit. BRYNNEMANN. de Process. Concurs. Cap. V. §. 12. & Comment. ad Pand. ad L. 1. §. 13. & 16. D. de Separat. num. 26. & ad L. 2. C. de Bonis auctior. iudic. possid. MEVIO Part. I. D. 254. num. 6. & loco supra citat. fontem habent principia communia iamiam exposita.

§. XII.

Hæc quidem ex principiis patrii iuris sat's deduceta sunt: attamen vt dubia quoque, quæ a nonnullis obmoventur, paucis expendantur, opera pretium erit. Primum enim contra quædam ex communibus hisce Germanici iuris principiis, quibus SCHILTE-

RVS

Dubia exami-
natur.



RVS cit, loc. Saxonica alii alia quoque iura prouincia-
lia suo modo fulserunt, non nemo scrupulos inie-
cit, simulque SCHILTERVM cæterosque nota-
uit. Obiicitur nempe, SCHILTERVM pro funda-
mento differentiarum in iurie separandi constituisse,
quod de iure Saxonico etiam non consecrato inuenta-
rio, hæres vltra vires hæreditatis iurato edendas non
teneatur ipso iure; atque huic rationi repontiur:
quod apud Saxones iurata, quam vocant, bonorum
specificatio maiorem effectum habere non possit,
quam inuentarium iure ciuili: atqui hoc non impe-
dire necessitatem impetrandi separationis beneficium,
ipsum SCHILTERVM largiri citat. exercit. XLVI. §.47.
Verum enim vero negandum est antecedens suppo-
situm, quasi iurata Germanis vſitata bonorum hære-
ditariorum specificatio maiorem effectum, quam inuen-
tarium iure Romano habere nequeat. Petit quip-
pe principium quod vtriusque eadem sit cauſa, eadem
indoles, iidem effectus, & quod loco beneficii inuen-
tarii Romani sit iurata specificatio Germanica. Certe
erronea hac argumentandi ratione primum illud fal-
sum supponi non potest, nec secundum quid saltem
forſan comparanda absolute comparabuntur, niſi quis
ex præjudicio auctoritatis iuris Romani instituta Ger-
manica aut propriis aut naturalibus rationibus nixa
ex Latii legibus, earumque rationibus ciuilibus &
singularibus minus apte, vti vulgo fieri solet, in-
terpretari, æstimare & inuitissima cum his in con-
ſonantiam cogere velit: quo ipso simul diuersa pla-
ne iura diuersis rationibus superstructa insigniter
inuicem confunduntur, ac disputatio in aliud pla-
ne

ne campum transit. Evidem diuersitatem vtriusque rei satis superque deduxi in antecedentibus §. 9. 10.
 & u. cumque in hac diuersitate remotiorum principiorum fundata sit SCHILTERI assertio; vereor ut dubium ipsi motum & mentem eius & statum controuersiae tangat. Eo scilicet redit SCHILTERI sententia, quod de iure Saxonico ex ordinaria regula iuris non accidat omnium iurum defuncti & hæredis confusio, vt adeo non opus sit effectus duros inde dependentes extraordinario beneficio, nempe inuentarii respectu onerum hæredi accrescentium, aut separationis bonorum respectu incommodorum creditores prementium euertere; sed quod bona vtroque respectu separata sint, vsque dum æs alienum deductum, quorum quantitas tantum indicanda iurata hæredis specificatione; quæ itaque minime est beneficium aliquod contra iuris ciuilis rationem introductum, vti inuentarium Romanum, adeoque vtriusque dispar est conditio & effectus, cuius rei rationes habes §. 11. Nunc posterius argumentationis membrum nos minime ferit; quanquam illius veritas quoque iam examinata sit §. 10. & sic conclusio aduersa perse corruit. Porro vapulat consecutio SCHILTERI; quia haeres vltra vires hæreditatis iurato indicandas non tenetur, ergo postulatio separationis non est necessaria, sed ipso iure venit, nec vt beneficium impetratur: oggeritur enim, quod prius sit beneficium hæredis, posterius creditorum; & ab illo ad hoc idoneum argumentum duci nequeat. At vero in promtu est defensio SCHILTERI, atque iam sunt labores, si modo
 hoc

huc applies deducta §. 10. Insuper ex resolutione prioris oppositionis statim apparebit, quod minime a diuersis ad diuersa inidonee argumentatus sit ICTus, cum vtriusque eadem sit ratio vltior, nimurum quod ex patrii iuris analogia non fiat iurium defuncti & hæredis confusio, nisi in eo, quod deducto ære alieno superest. Quin semper redit circulus, & id, quod in quæstione est, obiicitur, nempe ex nimio auctoritatis præiudicio Romanum ius pro regula primaria in Germania perperam supponitur, & ex eo patria instituta æstimantur: cum tamen Germanica iura, naturalem rationem sectantia & retinentia, contrariam faciant regulam, vt Romano subsidio opus non sit; quoniam Germani naturali iuri non superaddiderunt Romanam omnium iurium decessoris & successoris confusionem, quæ ordinario iure obtineret, adeoque nec huius nec creditorum intuitu beneficiis extra ordinem effectus confusionis euertentibus opus est. Itaque probandum fuisse, si argumentum quid valere deberet, in Germania obtinere iniquam Romanam confusionem omnium iurium & actionum actuarum & passuarum, sine vlla limitatione & absque æris alieni deductione, defuncti cum iuribus hæredis, & absolutam coalitionem eorum, quæ in vel ex bonis utriusque sunt, beneficiis singularibus temperandam: quamdiu autem hoc non factum, tamdiu cum SCHILTERO nego, quod specificatio iurata sit singulare beneficium hæredis, & creditores Romano beneficio opus habeant separandi bona, quæ non confusa. Et secundum hæc intelligenda non solum sunt, quæ SCHILTERVS ibidem §. 48. adstruxit, scilicet in foro Saxon-

D

co



eo creditores non sequi personam hæredis, sed bona defuncti; verum etiam aduersæ sententiae, quod SCHILTERI assertio non aliter vera sit, quam si id beneficii loco legitime impetraverint creditores, perinde ut iure ciuili id speciatim impetrari necesse est, simul satisfactum est. Deinde in specie de iure Alemanno ipse SCHILTERVS citat. Exercit. §. 48. aliter sentit, quam quæ haec tenus tradita sunt, putans, in Suevia minus recte iuris civilis definitio- ni Saxonicum ius præferri, cum hoc ibi non recep- tum, & in *Iure Alemanno cap. VII.* relatum sit: *Wer Erbe nimmt, der soll auch die Schuld gelten, die der todte Mann gelten sollt ic.* quemadmodum & *Leges Ripuariorum Cap. LXVII. §. 1.* hæredem ad omne æs alienum defuncti, licet vires hæreditatis excedat, soluendum obstringerent, adeoque Alemannis magis- cum Romanis quam cum Saxonibus in hoc iuris articulo conueniret. Attamen ea, quæ laudatus ICtus Saxonica iura dixit, potius communibus Ger- maniaæ rationibus & vniuersalibus iuris naturalis prin- cipiis niti, minime autem proprium & singulare ali- quod ius Saxonum esse, saepius dictum est. Non ergo opus est extra Saxoniam receptione eorum singulari, sed tamdiu illis standum, donec, aliud ali- bi introductum esse, liquido probetur. Hoc autem in Suevia factum esse, ex *cit. cap. VII. Iur. Alemann.* liquido non appetet, quod hæredem ultra vires hæ- reditatis ad æs alienum defuncti manifeste non obstrin- git: adeoque in dubio lex accipienda est secundum communia patrii iuris & naturalia principia; neque est, cur eam magis ex legibus Ripuariorum propriis cum

cum Romano iure commixtis interpretari debeamus, quum in plerisque Speculator Sueucus æmulator sit iuris Saxonici. Forsan autem aliud dicendum ex legibus quorundam locorum, quæ antiquam Germanicæ iuris obseruantiam in specificatione iurata plane migrarunt, hæredem, nisi inuentarium confecerit, ad omne æs alienum defuncti hæreditatis vires exsuperans soluendum obstringentes? quorsum pertinet Reformatio Francof. Part. VI. Tit. 3. §. 1. & 6. Roformar. Noriberg. Tit. 38. L. 1. §. 2. Statut. Wormatiens. P. II. L. 3. Tit. 27. Hamburgens. Part. III. Tit. 7. Art. 2. seqq. & suo modo Ordinat. Camer. Brandenb. Tit. 29. §. 4. seqq. quarum legum verba legas apud STRYKIVM in Vſu Mod. ff. Tit. de Iur. deliberandi §. 2. & 9. Attamen has leges in præiudicium creditorum derogasse deducuntis §. n. minime arbitror. Etsi enim hæres ad omne æs alienum defuncti vltra vires hæreditatis soluendum, nisi inuentarium confecerit, ex his legibus obligetur, id sane factum est, ne forte specificatione iurata hæredes abutantur, & quod hæreditatem adeuntes negligendo consignationem inuentarii legis dispositione præscriptam consensisse videantur in onus a lege impositum: minime vero inde introducta est omnimoda & absoluta omnium iurium & obligationum confusio Romana respectu creditorum, temperanda demum separatio beneficio Romano; verum hiadhuc vrgebunt principia antiqua naturalia, hæreditatem demum esse in eo, quod ære alieno deducto superest, idque demum coalescere & confundi cum patrimonio hæredis. Peregrina enim recepta esse non præsumuntur, sed probanda sunt: & quoque patrium ius non

D 2

diserte

diserte abrogatum, eousque ipsi standum est. Omnis quoque legis interpretatio ita institui debet, ne iniquum neue absurdum quid contineat: at iniquam esse confusionem istam Romanam bonorum defuncti & hæredis satis superque patet ex §. 8. & 9. omnesque Icti confitentur: & quis non videt? quam absolum futurum fuisset, abrogata perantiqua obliterantia naturalis & Germanici iuris ex peregrina iurisprudencia Romana, sine ratione & præter meritum creditorum, in horum iniuriam, iniquam confusionem iurium introducere, eiusdemque duritiem iterum ad æquitatem naturalem mediante beneficio separationis temperare, & sic ineptas ambages atque tricas in locum simplicis æquitatis surrogare velle.

§. XIII.

Differentiae speciales, quod ad personas.

Fundamentis hoc modo iactis, & generalibus Romani & Germanici iuris differentiis in separationis beneficio sufficenter explicatis, negotium parum difficile erit, differentias speciales superstruere: ex quibus primum expendendæ sunt differentiae respectu personarum, inter quas separatio bonorum locum habet. Nimirum a) quod iure Romano contra rationem iuris ciuilis a Prætoribus introductum sit singularē beneficium separationis, indeque illi tantum hoc auxilio fruantur, quibus Prætor illud indulserit, atque hic tantum creditoribus hæreditariis contra creditores hæredis obserati eo subuenierit, accepimus §. 9. Qua de causa certum est, quod creditores hæredis contra creditores hæreditarios ad patrimonium ipsius hæredis, in præiudicium creditorum hæredis, pro ære alieno defuncti hæreditatis vires exsuperante concurre-

currentes, hoc solatio non sint gauisi *L. i. §. 2. & 5. D.*
de Separat. cuius rei rationem suggerit *cit. §. 2. ZASIVS*
ad hanc Leg. nisi forsan his extra ordinem mediante
 restituzione in integrum aduersus calliditatem hære-
 dis succurrentum fuerit, qui in fraudem creditorum
 suorum obæratam adierit hæreditatem, aut si hæres
 suspectam hæreditatem dicens compulsus fuerit, adire
 & restituere hæreditatem, deinde non sit, cui resti-
 tuat *cit. L. i. §. 5. & 6.* Attamen nouiore iure Romano
 æs alienum defuncti creditoribus hæredis, tunc quo-
 que præiudicium inferre non debere, si hæres inuen-
 tarium confecerit, merito tum argumento *cit. L. i.*
§. 6. in fm. tum ex dictis *§. 10.* adstruo cum RICHTERO
 citat. tract. cap. I. memb. poster. *§. 93. ad 102.* & SCHILTE-
 RO Exercit. XLVI. *§. 44.* Sed de iure Germanico ab-
 solute, atque, licet inuentarium non confecerit hæ-
 res, huius creditores bonorum eius, tanquam sui de-
 bitoris tantum, a bonis hæreditariis separatam ratio-
 nem inire, seque a creditoribus hæreditariis segregare
 possunt, quousque diuersitatem bonorum probare
 queunt. Nam creditorum hæredis & defuncti iura
 reciproca esse debere, ipsa suadet naturalis æquitas.
 Deinde in Germania separatio non sit per modum
 beneficii contra rationem iuris ciuilis: itaque illa tan-
 tum defuncti creditoribus, non autem hæredis credi-
 toribus concessa dici nequit; nec hi ex alia iuris ciu-
 lis regula ordinaria æstimandi sunt. Quippe secun-
 dum naturalis iuris in Germania obseruantiam pariter
 atque instituta patria de ordinaria iuris regula non
 oritur confusio iurium decessoris & hæredis, nisi de-
 ducto ære alieno, vt adeo eousque vtriusque bona

separata maneant, indeque confusorum separatio beneficio singulari non demum sit impetranda. Accedit, quod hæres de iure Germanico vltra vires hæreditatis non teneatur. Et sic creditores hæreditarii non pertinent ad hæredis patrimonium; cui id demum hæreditatis nomine coalescit, quod ære alieno deducto supereft. Quapropter minime opus est, vt hæredis creditores beneficio id impetrant, quod ex ratione iuris ordinarii eiusque analogia iam procedit: idque non magis ipsis denegandum est, quam creditoribus hæreditariis, quorum ius iisdem fundamentis nititur, quæ omnia late § 8. n. & 12. sunt deducta. Quod si vero hæres hæreditatem obæratam diminuat, tunc ipsum creditorum hæreditiorum debitorem verum fieri, accepimus § 8. num. 9. & 13. Secundum hæc ne quidem ratio diversitatis, cur Prætor apud Romanos creditoribus hæredis contra hæreditarios idem beneficium non indulserit, quæ L. 1. §. 2. D. de Separation. profertur, in Germania locum inuenit. Dicitur enim in *citata Lege*, quod liceat alicui, adiiciendo sibi creditorem, creditoris sui facere deteriorem conditionem. Sed, vt iam mittam circulos, qui in *citata Lege* committuntur in auertenda huius rationis retorsione a creditoribus hæreditariis, ista ratio de iure Germanico ad præsentem quæstionem neutiquam applicari potest: nam cum hæres vltra vires hæreditatis & de suis non teneatur soluere debita defuncti, per §. n. & 12. sequitur quod hæreditatem adeundo sibi nec adiiciat creditores, nec adiicere nec hoc modo suorum creditorum conditionem deteriorem facere velit. Quin si hoc in præjudicium creditorum suorum aliquando velit
 hæ-

hæres, id neque procederet ex principiis patriis, neque propter apertam fraudem hæredis debitoris firmum esset in creditorum incommodum: vnde sunt, qui eiusmodi fraudulosum hæredis propositum inde colligunt, si hæres obæratam hæreditatem citra inuentarium adeat SCHILTER. cit. §. 44. quo refugio tamen quod in Germania non indigeamus, ex deducatis perspicuum est, nisi forte eo tibi consulere velis, vbi hæres ad inuentarii confectionem statutis obstrinatur. Ex eadem caussa singularis beneficii creditoribus impetrandi β) iure Romano non omnes creditores hæreditarii separatione gaudebant, sed si plures essent, quorum quidam eam peterent, quidam vero non, illis succurrebatur, minime vero his L. I. §. 1. & 16. D. de Separation. At in Germania non solum de praxi Pomeranica testa MEVIO Part. I. Decis. 254. & Part. III. Decis. 331. sed etiam alibi id non attendi, quod ea, quæ iuris sunt, iudex teneatur supplere, refert BRVNNEMAN ad citat. L. I. §. 16. D. de Separation. & quod per clausulam salutarem libellis apponi solitam separatio semper tacite censeatur petita STRYK. in not. ad BRVNNEMAN. de Process. Concurf. Credit. cap. V. §. 12. Licet autem posterior ratio de virtute clausulae salutaris non magni ponderis sit: prior tamen satis valida, & in hac separationis bonorum caussa quoque de iure Germanico vera est, non tanquam hodierna demum aut recens praxis a pristino iure diuortium faciens, sed ex principiis naturalis & patrii iuris perantiquis sponte fluens, quæ hac in re semper contraria fuerunt iuri Romano, adeoque subsidiariæ auctoritati huius iuris restiterunt; quippe separatio

tio hæc in Germania non est singulare beneficium contra iuris ciuilis rationem, sed ex hac ipsa competit. Porro γ) plures ſepe ſucceſſionum ordines & hæredum, quorum alter alteri ſuccedit, ſeries exiftunt, qui ſinguli deceſſores & hæredes nonnunquam relinquunt creditores, vt pote ſi *Primus* hæredem ſcriperit *Secundum*, hic iterum *Tertium*, & *Tertii* bona veneant; queritur, qui creditores ſeparationem impetrare poſſint? Et de iure Romano *Primi* creditores audiendi ſunt aduersus *Secundi* & *Tertii*; *Secundi* autem tantum aduersus *Tertii*, non vero aduersus *Primi*, *Tertii* denique aduersus *Primi* aut *Secundi* creditores plane non audiuntur, quia creditoribus defuncti tantum, non vero creditoribus hæredis confeſſa separatio. Sed de iure Germanico contraria obtinet ratio: igitur contraria quoque fit decisio, vt ſeparata vrgere queant bona cuiuslibet debitoris creditores, ac *Secundi* creditores contra *Primi*, & *Tertii* contra priorum deceſſorum creditores æquale ius competat. Pari modo δ) in ſubſtitutione pupillari res ſe habet. De iure Romano enim, ſi quis hæres parenti exſtiterit, quum eſſet impubes, deinde intra pubertatem deceſſerit, & ſubſtituti bona veneant, qui impuberis hæreditatem adiit, patris quidem, imo etiam impuberis creditores ſeparationem impetrant aduersus creditores ſubſtituti, non vero vice versa *cit. L. 1. §. 7. & 8.* At iure Germanico in hypothefi doctrine vulgaris, quæ pupillares ſubſtitutiones ad Germaniam quoque applicat, ſubſtituti creditores eodem iure ut fruantur, efficiunt dicta ſub *lit. a & γ.* Rectius tamen ea, quæ CYPRIAN REGNER AB OOSTERGA in Censura Belgica

gica ad L. 2. D. de *Vulg.* & pupillari substitut. & ad L. 1. §. 7. D. de *Separation.* de substitutione pupillari Belgio parum apta, indeque de separationis bonorum quæstione proposita eiusque non vñl differuit, merito ad Germaniam applicari deberent. Quod e) contra fiscum bona hæreditis per sequentem separatio creditoribus hæreditariis iure Romano concedatur, expeditum pariter ac æquum est L. 1. §. 4. D. de *Separation.* Neque video rationem sufficientem, cur ex bonis hæreditariis, quæ ante æris alieni deductionem ad hæreditis patrimonium non pertinent, adeoque ex rebus alienis fiscus hæreditis creditor satisfactionem exigere possit: præfertim de iure Germanico, quo vsque ad æris alieni exsolutionem defuncti & hæreditis bona separata manent. Sane supra §. 6. num. 5. accepimus, quod in terris Brandenburgicis illis, qui separationis iure frui putant, præferendus videatur fiscus propter collectas *Recess. March.* citat. quale ius ad varios alias redditus fiscales & principis extensum est sanctionibus, quas allegat STRYK. in Not. ad BRUNNEMANN citat. tract. cap. V. §. n. quibus adde Ordinat. Reg. Boruss. de Hypothec. & concurs. §. 135. & Edictum Regium, quod emanauit Berolini die 4to Nou. anno 1713. ordin. cit. adiectum sub lit. q. cumque lege vel statuto deficiente, illud, quod in vicinis locis ius vel obseruantia tenet, applicari soleat MEVIVS Conf. XLIV. num. 128. hinc in Ducatu Megapolitano idem ius obtainere putant, vid. TORNOV. de Feud. Mecklenb. Part. I. cap. 3. sect. 6. §. 9. Ast si quæstio est de ipsa re collectabili, ex qua collectæ residuæ exiguntur, tunc certum quidem est, has oneri esse cuius possessori, & sic quoque vero domino, vti dictum §. 6. num. 5.

E

sed

sed tunc quæstio ad præsens thema & hanc separatio-
nis speciem minime pertinet. Cæteroquin vero ex cita-
tis constitutionibus mihi neutquam videtur colligen-
dum, quod redditus fiscales ibi relati vero iuri separatio-
nis in eo significatu sumto, de quo in præsenti tractatur,
& quod §. 7. describitur, derogare debeant: quæ leges
omnes potius concernunt res ad debitoris patrimo-
nium vere pertinentes, & in his rebus fisco tribuunt
prærogatiuam præ illis, qui veri sunt creditores eius-
dem debitoris, ac circa easdem debitoris res vna cum
fisco concurrunt, qui tamen separationis iure, alio
sensu sumto & ad tertium significatum §. 4. relatum
pertinente, res debitoris quasdam præ cæteris credi-
toribus sibi seorsim arrogant, vt pote qui inter hypo-
thecarios priuilegiatos creditores secundæ classis,
quam vulgo vocant, separationem in certa quadam
re debitoris habent cæteris creditoribus eiusdem
quoque classis, aut qui alias idem ius segregandi
rem debitoris a cæteris creditoribus ob hypothe-
cam, cum qua res comparata, vel ob hypothecam
specialem ex L. 2. C. de Pignor. & hypothec. vel ob pignus
strictè dictum, vel simile quid vrgent. Nam leges
istæ loquuntur de bonis debitoris: at bona defuncti
non pertinent ad bona hæreditis debitoris ante solutio-
nem debitorum hæreditiorum. Neque illæ præiu-
dicium inferre volunt his, qui dominii iure sua vindic-
cant, licet saltem sit reseruatum dominium in securi-
tatem pretii, de quo fides habita, si reseruatio do-
minii inserta sit dem Land- und Hypotheken-Buch
Ordinat. citat. de Hypothec. & concurſi. creditor. §. 132. seqq.
at vero iisdem cum hoc iure rationibus nititur ve-
rum

rum ius separationis, de quo in his legibus nulla specialis mentio fit. Quin quam longe alio sensu sumatur separationis beneficium in *citat. Ordinat. de Hypothec.* apparebat ex eo, quod proxime post §. 135. quæ præcipuum fisci constituit, sequitur §. 136. vbi post fiscum in impetranda solutione præ aliis collocatur per beneficium separationis hypotheca, siue expressa siue tacita, rei cui-dam iam imposta, antequam fuerit in bonis debitoris, cuius res nunc veneunt. Praeterea in *Editio de anno 1713.* pro iure prælationis fisco in bonis administratorum præ cæteris creditoribus competente ad ius commune prouocatur, ac fisco primus locus in concursibus creditorum assignatur præ hypothecis antiquioribus consensu domini vel magistratus munitis, & aliis creditoribus alio prælationis priuilegio gaudentibus. Sed de iure communi fisci priuilegium circa bona administratoris non obstat separationi eorum, quæ ad bona administratoris non pertinent; neque separationem vrgentes in concursu creditorum locum prætendunt, qui potius se sive debitoris bona segregant a bonis debitoris, qui ea detinet, adeoque reuera extra concursum huius debitoris, quod sibi debetur, impetrant §. 4. neque hoc separationis ius esse priuilegium prælationis aliquod creditoribus quibusdam indultum, præsertim in Germania, ex superioribus satis liquet. Nihil itaque aduersus ius separationis vere constitutum, sed tantummodo fisco in casibus *citat. textibus* expressis primus locus inter absolute priuilegiatos, quos vulgo ad primam classem creditorum referunt, assignatus est, mox post sumptus in concursum impensos, & res, quæ ad concursum non

E 2

per-

pertinent, præ hypothecis tamen cum re comparatis, imo & præ expensis funebris, cæterisque ad primam classem alias relatis.

§. XIV.

Differentiæ
quoad ob-
iectum.

Videamus quoque de differentiis circa obiectum. Hoc loco $\alpha)$ se offert ab initio quæstio, an etiam ob res creditorū hæreditario hypotheca obligatas separatione opus sit? Disputatur hæc cauſa in vtramque partem, quam de iure Romani cum WERNHERO citat. *Dissert. Cap. IV. §. 10.* & LAVTERBACHIO citat. *Dissert. Cap. III. §. 8.* affirmo, quia alias priuilegiatorum hæredis creditorum prælationis ius hypothecam creditorum hæreditariorum euertere posset. Hoc iure tamen creditores hypothecarios in illis locis Germaniae non indigere quidam putant, vbi creditores qui hypothecam in re quadam consecuti, antequam debitor hanc acquisuerit, huius creditoribus omnibus præferuntur WERNHER. *citat. loc. §. 11.* Verum ex hoc fundamento creditorem hypothecarium defuncti non semper satis defendi posse, patet ex iis, quæ §. *preced. 13. lit. e.* accepimus. Ideoque omnino etiam hi creditores seperatam bonorum hæreditariorum rationem ineant, licet id non per modum beneficii singularis impetrare debeant; qui potius id saltem vrgebunt, quod pignus suum sibi seorsim separatumque a bonis hæredis permanferit, neque his computari neque a creditoribus huius, quoouis priuilegio gaudentibus, occupari posset. Post hæc, $\beta)$ separationem tantummodo indulgeri de iure Rom. re adhuc integra, perspicuum est ex *L. 1. §. 12.* & *L. 2. D. de Separation.* ut post realem con-

confusionem & commixtionem rerum hæreditaria-
rum cum rebus hæredis, veluti si vina vinis, frumenta
frumentis admixta, aut postquam res hæreditariæ ab
hærede bona fide distractæ sint, hoc beneficium non
concedatur. Sed in Germania quoad Marchiam &
Pomeraniam aliud existimant MEVIVS Part. I. De-
cif. 40. & 254. Part. III. Decif. 331. & Part. IV. Decif. 178.
BRVNNEMAN. ad L. 1. & 2. D. de Separation. quam
discrepantiam iurum tamen SCHILTERVS citat. Ex-
ercit. XLVI. §. 42. non agnoscit. Evidem MEVII &
BRVNNEMANNI sententia non solum cum Marchi-
co & Pomeranico iure, sed etiam generatim cum
principiis patrii & naturalis iuris §. 8. & 11. expositis
magis conuenire puto, in quantum nititur traditis
§. 8. num. 9. & 15. aut in Germania quoque pretium suc-
cedit in locum rerum hæreditariarum. Nimirum in
Germania non opus est, vt confusorum iurum de-
mum impetretur & fiat separatio, sed ante æris alieni
solutionem iura & bona defuncti ipso iure sunt &
manent separata, quorum separata ratio, quæ sua natu-
ra mentalis est æque vt Romana confusio iurum, con-
tinuatur, et si corpora quædam rerum hæreditariarum
admixta sint corporibus quibusdam ad hæredem perti-
nentibus: hac confusione & commixtione enim,
quam facti vocant SCHILTER. citat. §. 42. nihil ef-
ficitur, quam communio dominii quoad to-
tum corpus ex commixtione compositum, adeoque
hoc corpus tantum pro rata dominii hæredi com-
petentis pertinet ad obiecta concursus creditorum
hæredis, pro rata vero dominii hæreditarii cor-
pus illud ad defuncti hæreditatem & creditores hæ-

reditarios pertinet. Deinde in hæreditate pretium in locum rei succedere trallatitium est: idque cur in hæreditate defuncti debitoris, quam creditores eius separatam sibi vindicant, obtinere non debeat, non video. Quapropter colligo, quod iure Germanico res hæreditariae commixtae rebus hæredis, si modo existent inter res, quas hæres detinet, quemadmodum etiam pretium ex rebus hæreditariis redatum extans, vel res ex pecunia hæreditaria comparatae creditoribus hæreditariis seorsim relinquendæ sint. De cætero autem quoad res consumtas ad normam dictorum §. 8. num. 15. recte se habet SCHILTERI sententia, quam fouet citat. §. 42. quod scilicet creditores hæreditarii id, quod interest, ex bonis hæredis petere possint, & sic huius fiant creditores, eiusque concursui se immiscere debeant.

§. XV.

Differentiæ
quoad mo-
dum.

De differentiis in modo, quo separatio bonorum obtinetur, non est, ut multa moneam; quæ per se facile intelliguntur ex his, quæ hucusque disserui. Etenim a) quia iure Romano separatio tanquam singulare beneficium indulgebatur contra ciuilis iuris regulam, id non nisi potentibus indultum fuisse; sed iure Germanico iudicem etiam non imploratum separationem decernere posse, iam acceperimus §. 13. lit. β. quod eo magis verum est, quo magis notum est, iudicem in concursu creditorum in pronuncianda sententia vi officii de ordine & præcipuo creditorum decernere debere, quoisque facta ex actis ipsi constant, ex quibus ordo & iura præcipua dependent. Præterea β) impetratio huius beneficii iure

iure Romano inclusa est spatio quinquennali post aditionem numerando L. i. §. 13. *D de Separation.* Verum hæc restrictio iure Germanico vix attentionem mereatur, nisi iura provincialia aliud fancierint: cum nihil singulare & contra iuris ordinarii rationem in Germania per separationem bonorum contingat. Merito igitur non solum *Constit. Megapol. de dato Schwerin den 29 Ian. 1646.* cuius tenorem exhibit *Magnif. Dn. MANTZEL. Dissert. de Iuribus singulari. in Megapoli circa process. concurs. credit.* §. 14. quinquennium reiecit, sed etiam in Marchia, Pomerania & alibi non attenditur, testibus *BRVNNEMANNO de Concurs. credit.* cap. V. §. 12. & ad citat. L. I. D. de Separat. num 26. *MEVIO Part. I. Decis. 254. HAHNIO ad WESEN B. Tit. de Separation.* aliquis, quos citat *SCHILTERVS Exercit. XLVI. §. 49.* Pro quinquennii obseruantia in foris Saxonie quidem disputat *CARPZOIVS Lib. IV. Tit. 2. Resp. 18. num. 15. seqq.* sed rationibus admodum infirmis, quæ dubiis ab ipso num. 11. ad 14. motis & ex præscriptione Saxonica defuntis prorsus impares sunt. Circa statutum controværsiæ enim egregie errat, & principium petit, quod dicit, Saxones sua definitione duorum temporum totam præscriptionum (scil. Romanarum) obseruationem, tantis vigiliis excogitatam, euertere noluisse, & singulare tempus iure ciuili statutum in foro Saxonico receptum putari, quia noua constitutio seu statutum ad casus speciales in iure antiquo comprehensos non traheretur. Scilicet non in quæstione est, an Saxonica præscriptio euertere voluerit Romanam, sed an Romani subsidiarii tantum iuris præscriptionem recipere voluerint Saxones contra patrium

trium ius , & ad huius euerisionem ? quod negandum. Neque vniuersaliter asséri potest, tempus singulare iure ciuili statutum in foro Saxonico receptum putari : quod restringendum est ad negotia iuri Romano propria, a Saxonibus inde recepta: at hoc aliter se habet in separatione bonorum, vti supra abunde deduc̄tum est. Prorsus falsum est, & iura Romana cum Germanicis atque vtramque rempublicam inuicem miscer, quod Saxonica prescriptio ex noua constitutione sit, iuri speciali antiquo non derogante: namque Saxonicum ius minus apte respectu peregrini iuris Romani dicitur noua constitutio, quia hoc in Germania sero & in subsidium saltem receptum est. Falsum denique est, separationem bonorum in Germania ius singulare esse.

§. XVI.

Differentiae
quoad effec-
tum.

Tandem, quod ad effectum separationis attinet, iure Romano ambiguum fuit, num separatione impetrata creditores hæreditarii, quibus ex defuncti bonis non satisfactum, reuerti possint ad hæredis bona propria, si huic quid supersit, postquam proprii creditores dimissi sunt? Negantem tamen & veriorem sententiam adstruxit, simulque de legibus sibi obstantibus differuit STRAVCH. *ad Ius Iustinian. Dissert. XXVIII. Thes. 18.* ibique THOMASIVS nisi quod ex iustissima ignorantia contra temere petitam separationem creditoribus restitutionem in integrum promittat L. 1. §. 17. D. de Separation. At de iure Germanico expedita magis est sententia negans ex principiis certioribus §. 11. iunct. §. 8. num 8. seqq. explicatis, secundum quæ hæres de suis pro ære alieno defuncti plane non tenetur, exceptis

exceptis casibus §. 8. n. 9. & §. 12. relatis. Quam ob rem nec per restitutionem in integrum creditores bona heredis aggredi possunt, quippe per separationem, quæ ipso iure existit, non læsi, cum hæres iis nunquam obligatus fuerit, adeoque obligationem contra naturalem æquitatem illi imponere, aut confusonis iurium, quæ non adfuit, effectus restaurare per restitutionem in integrum nequeunt. Nec protestatio ex cautela BRVNNEMANNI ad L. I. §. 16. D. de Separation. num. 30. de referuando regressu aduersus hæredis bona creditoribus hæreditariis ad acquirendum ius, quod contra hæredem illis nunquam competit, & ad obligationem nouam hæredi non obligato imponendam proficiet.

§. XVII.

Restat tertia separationis species secundum § 4. *in fin.* De istia specie s. de qua si separaz. quam quasi separationem dicunt, quæ non consistit in separata habita ratione diuersorum patrimoniorum & creditorum diuersorum debitorum, sed in segregatione certarum rerum, obtinente inter creditores unius eiusdemque debitoris, quorum quidam in concursu quasdam res debitoris sibi præcipuas arrogare possunt. Verum partim de quibusdam casibus supra §. 13. ltr. e. incidenter iam actum, partim autem proprie ad præsens institutum res non pertinet, partim denique principia, questiones circa hanc speciem occurrentes decidendi, aliunde sunt petenda, quorum deductioni iam non vacat. Idcirco tantum præcipuas differentias in breuem suminam coniectas exhibeo. De iure Rom. nempe a) si seruus duas exercuerit negotiationes, vel eiusdem negotiationis duas habuerit tabernas, sed in fin-

F

gulis

gulis diuersos habeat creditores, hi ius habent separandi merces diuersarum negotiationum & tabernarum, in quas seorsim crediderunt L. 5. §. 15. & 16. D. de Tributor. actione. At de Iure Germanico defunt servi peculiis Romanorum more instructi: ergo hoc occurrere nequit. Porro β) Iure Rom. si filiifamilias bona veneunt, qui castrense peculum habet, creditores castrenses separant peculum castrense ab iis, qui crediderunt, antequam militaret L. 1. §. 9. D. de Separation. Sed peculia Romana filiorum familias ad Germaniam non quadrare, neque apud nos vnum hominem & filiumfamilias diuersis patrimonii seu patrimoniolis instructum esse, alio tempore & loco docebitur: inde nec in hac re vsum habebit ius Romanum. Ex his, maxime ex L. 5. citat. §. 15. colligunt ICti, γ) si mercator diuersas habeat tabernas, diuersaque exerceat negotiationes, quod creditores eius tabernæ merces separare sibique inde primo satisfacere possint, cuius intuitu crediderunt BRVNNE MANN. ad citat. L. 5. STRYK. in Not. ad BRVNNE MANN. de Concurs. creditor. cap. V. §. 13. SCHILTER. Exercit. XXVII. §. 1. Quemadmodum autem hanc consecutionem a seruis peculiaribus Romanorum ad liberos homines minus recte fieri, iam monuerunt CYPRIAN. REGNER. AB OOSTERGA Disput. ad Pand. ad citat. L. 5. §. 15. STRVV. Exercit. XLIV. §. 16. aliisque a STRVIO & SCHILTERO citati: ita certe de iure Germanico nec ego video rationem solidam huius consecutionis, & per eam formatæ separationis; ac in libero homine diuersis tabernis instructo omnino cessat ratio, quæ obtinuit in seruis Romanis obligationis incapacibus, quod sci licet

licet unusquisque creditorum merci magis, quam ipsi seruo crediderit *citat. L. 5. §. 15. D. de Tribut. actione*, cum potius quilibet creditor & personæ debitoris, & integræ eius patrimonii rationem habere soleat. Fallitur itaque **TITIVS ad LAVTERBACH.** *Comp. Iur. obseru. 1060.* hoc separationis beneficium iuris naturalis esse afferens. Nec magis stringunt, quæ **SCHILTERVS** *cit. loc. reposuit*, quod omnes interpres dictam rationem & superstructam separationem etiam de filiofamilias intelligant: nam auctoritatis præiudicium non attendendum est; nec ex hac sententia aliquid singulare efficitur, quia etiam filiorumfamilias Romanorum obligationes admodum restriæ fuerunt, eorumque peculia instar diuersorum patrimoniorum se habuerunt. Nec alia ratio, quam ex §. 16. *citatae L. 5.* profert **SCHILTERVS**, ne scilicet ex alterius re mercede alii indemnes fiant, alii damnum sentiant, vniuersaliter vera nec adæquata est. Taceo, quod iuris separationis restriæ, quam ex **ICtis** refert **SCHILTERVS**, si nimis omnibus tabernæ sint soluendo, totam regulam destruat, & rem inanem faciat. In terris Brandenburgicis tamen per *Edictum de dato Berlin den 12. Nov. 1727.* creditoribus separatio conceditur lanæ, quæ fabricatoribus credita est, so denen **Woll-Arbeitern vorgeschoßen**, & merceum ex lana in his terris confectarum, quæ incolis lanariis aut mercatoribus creditæ sunt, quatenus hæres adhuc inter debitoris bona exstant. Alia adhuc genera quasi separationis recensent: vtpote 3) si liberta petierit bonorum possessionem secundum tabulas damnosam, patronum contra hæreditarios credidores separationem petere *L. 6. §. 1. D. de Separation.* At

F 2

iure

iure Germanico id vsu destituitur, deficiente iure
 patronatus Romano. Item ^s) seruus hæres necessa-
 rius, si non attigerit bona patroni , nihilque inde
 in suam vtilitatem verterit, iure Romano petere pot-
 est contra creditores hæreditarios, vt separetur, quid-
 quid postea acquisuerit, & testator ei debeat L. i. §.
vlt. eod. Sed id iure Germanico iterum nullius vsus,
 quo domini homines proprios suos vix instituent hæ-
 redes, nec hi necessarii sunt hæredes, nec, si essent,
 hi magis quam alii hæredes ex ordinaria iuris civilis
 regula vltra vires hæreditatis tenerentur §. n. & 12: ad-
 eoque beneficio separationis non indigent. Hæc
 sufficient Speciminiis Academicci loco: cætera ex dictis
 facile erunt diiudicanda, aliue occasione reseruan-
 tur. Ego autem D E O TRIVNO gratias ago
 humillimas, cuius sub directione & opuscu-
 lo huic & curriculo Academico
 impositus

F I N I S.

ERRATA EXSTANTIORA.

- P. 13. lin. 14. pro 109. leg. 193.
 p. 17. lin. 1. pro vlt. leg. vltra
 p. 19. §. XI. lin. 3. pro viuendum leg. videndum.
 p. 20. lin. 25. pro iniquissimum leg. iniquissimum.
 p. 21. lin. 3. pro compete leg. competente.

02 H 1016



DW



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



D. B. V.

TIO IVRIDICA

DE

ENTIIS IVRIS
ET GERMANICI

IN

SEPARATIONIS

QVAM

FRIDERICIANA

RAESIDE

TOBIA CARRACH

ORE PUBLICO ORDINARIO

VAR. ANNI CIO IO CC XL.

L. Q. C.

NTILANDAM EXHIBET

S EMMERICH

A - MEGAPOLITANVS.

MAGDEBURGICAE

VNERTI ACADEM. ET SENAT. TYPOGR.

(6)

25.